

XI.

I P H I C R A T E S.

ARGUMENTUM.

1. *Iphicrates nobilis disciplina militari. 2. Bellum gessit cum Thracibus: Lacedæmonios fugavit: Persarum conductitiis præfuit: Epaminondam retardavit. 3. Ejus dotes & filii exprobratio de uxore barbara.*

1. **I**phicrates 1 Atheniensis non tam 2 magnitudine rerum gestarum, quam disciplina militari nobilitatus est 3. Fuit enim talis dux, ut non solum ætatis suæ cum primis 4 compararetur, sed ne de majoribus natus 5 quidem quisquam antepone-

2 tur. Multum vero in bello versatus, sæpe exercitibus præfuit, nusquam culpa sua male rem gessit 6, semper consilio 7

G 4

vi.

1 v. Diod. Sic. 13. sqq. Plut. passim. Xenoph. H. Gr. 4. Æschin. de fals. leg. & in Ctesiph. Aristot. Rhet. Athenæus 4. & 12. Suidas. Polyæn. 2, 24. & 3, 9, 25. Frontin. 1, 4, 7. 1, 5, 24. 1, 6, 3. 2, 1, 5. l. 2, 5, 42. 2, 12, 4. 3, 12, 2. 4, 7, 23. Justin. 6, 5, 2. Seneca Controv. 6, 5.  
 2 Quidam legunt: non tam genere & magn. r. g. Nam ipse Harmodio cuidam generis ignobilitatem exprobranti dixit: *Meum a me incipit genus, tuum autem in te desinit.* Apertis militi inventis calceis, cavillo adpersus est, ac si fuerit tutoris filius.  
 3 Clarus factus est ac celebris. Multa in Aristot. Rhet. ex ejus orationibus prolata indicant, eum & bonum fuisse Rhetorem. 4 Cum præcipuis ejus temporis. 5 De iis, qui superiori ætate vixerant. 6 Quod non vinceret in Ægypto, factum est culpa Pharnabazi apud Diod. 15, 43. 7 Prudentia.